

habeat speciali auctoritate insigniam recurri, eque conscientiam suam pandere debere, natum est fieri ut à crimine illo committendo aliquatenus saltem retrahatur. Notum enim est, quod sicut facilitas veniæ est incentivum delinquendi; ita econtrariò difficultas veniæ minuat facilitatem peccandi.

XIX. Denique magnopere ad populi Christiani disciplinam pertinet, ut morbis spiritualibus periti medici, atque congruentia pharmaca & remedia adhibeantur.

Cùm verò compertum sit morbos, quò graviores sunt, peritiores requirere medicos, atque majore cum discretionem remedia esse applicanda; etiam hoc titulo reservatio ad populi Christiani disciplinam pertinet, quod graviora crimina, quæ sunt graviora animæ vulnera, non omnibus indifferenter spiritualibus Medicis curanda committantur; sed his curanda referentur, qui præ reliquis peritiores in applicandis remediis, & morbis spiritualibus curandis creduntur.

XX. Ex his non obscure colligere, ad assequendum scopum & finem reservationum à Patribus & Ecclesia intentum, requiri imprimis in reservandis criminibus non modicam discretionem: ac multiplicatione tandem earum auctoritas vilescat; nec ipsa reservatio consequenter ulterius peccatorum reservatorum enormitatem persuaadeat, aut horrorem peccatorum incutiat.

XXI. Insuper ut jam notatum est, præcipuus reservationem finis est populum à peccatis per difficultatem obtinendam absolutionis tamquam quodam freno cohibere. Cùm ergo populus uno tempore, & uno loco ad certum peccatum sit proclivior quàm altero, sequitur, quod subinde ad populi Christiani disciplinam magnopere pertinebit, unum idemque peccatum uno tempore, & uno loco reservari, quod alio tempore aliòve loco reservationem non exigat: eo quòd hoc tempore, vel hoc loco non ea sit ad hoc peccatum populi proclivitas, & peccati hujus frequentia ut ab eo hoc reservationis freno cohiberi debeat aut conveniat.

XXII. Hanc in reservandis casibus Episcoporum prudentiam ac discretionem ut necessariam supponit S. Carolus ostendit ejus Decretum in Concilio V. Mediolanensi cap. 10. his verbis expressum: "Cùm pro temporum varietate casuum reservationem ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo plantis illos casus ei reservatos Confessarii Sacerdotes perpetuò norint, eos Episcopus singulis annis, vel in Synodo Diocesana, vel ineunte Januario promulget, ita ut quæ illorum casuum reservatio proximè facta est, vim habeat, quoad altera fiet."

XXIII. Ad hæc ut hic effectus reservationum facilis & efficacius obineretur, jam pridem Episcopi raro admodum, & paucis facultatem à reservatis absolvendi indulgebant: sed sicuti eorum absolutionem sibi reservabant, ita quoque volebant, ut criminum rei à se absolutionem acciperent.

In Concilio Arelatenſi anno 1260. *Can. 16.* legitur, quod propter *imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam*, aliquando per villas & oppida consistissent Episcopi *Pœnitentarios* suos in quadragesima destinare, qui eos à casibus, qui *Majoribus reservabantur* absolverent: indicium haud obscure, inferioribus Confessariis per villas & oppida constitutis facultatem à reservatis absolvendi non fuisse communicatam: neque Pœnitentarios ab Episcopis destinatos potuisse quoslibet à casibus reservatis absolvere; at dumtaxat illos, qui per impotentiam aut penuriam ad Episcopum facile accedere non poterant; quod ipsa Synodus clarissimis terminis in fine sui Canonis expressit: "Nec Praelati, ait, super casibus sibi reservatis, ad Parochianos suos Pœnitentarios destinant, nisi eos, qui commode suos Praelatos adire non possunt."

XXIV. Rurſus ejusdem Provinciae Synodus quinquennio post priorē, id est, anno 1265. congregata, postquam *Can. 12. & 13.* plures casus Episcopis reservatos enumerasset,

tandem in fine *Canonis 13.* inhibet, "quod illi qui confessiones audiunt, se intrmittere non debeant de absolutionibus peccatorum (reservatorum) nisi personæ quæ in aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeo senes vel valetudinaria; quod ad Episcopos, vel eorum pœnitentarios, venire non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ. Et tunc eis nihilominus injungatur, quod si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcoporum aspectibus præsentare."

XXV. Et sanè nisi Episcopi in deleganda hac potestate admodum fuerint moderati; ut eam non nisi paucis, iisque pietate, eruditione atque prudentiâ præcellentibus communicent, ipse reservationum usus omni suo frustrabitur effectum; quemadmodum hodie multis in locis nullum pene ejus fructum & effectum videmus.

XXVI. Cùm verò nequaquam præsumendum sit, privilegia five personis Regularibus five Secularibus, vel confraternitatibus aut Ecclesiis à Sede Apostolica indulgentiam disciplinæ Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Episcopalis destructione aut immutatione, nequaquam verisimile est, privilegia à Sede Apostolica emanasse, quibus potestas absolvendi à casibus Episcopis reservatis sub generalibus terminis Confessariis indulgeretur.

XXVII. Unde inter propositiones damnatas ab Alexand. VII. anno 1665. hæc ordine 12. refertur: "Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ, ad id Episcoporum facultate."

Et rurſus in Decreto ad Episcopum Andegavensem idem Pontifex hanc propositionem: "Regulares habent potestatem absolvendi seculares à peccatis Episcopo reservatis, etiam si ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit, damnat, ut falsam, auctoritatem Episcoporum & Sedis Apostolicæ injuriosam."

Et eandem & Conventus Gallicanus in causa Episcopi Andegavensis jam ante reproboverat.

XXVIII. Quin & S. Carolus Syn. Mediolanensi III. tit. 8. prohibens ne Confessarii Regulares, eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est, vinculis irretitos Pœnitentes absolvant. "Addit: "Quemadmodum à Sede Apostolica declaratum est, id eis non licere, quavis privilegiorum suorum auctoritate."

Deinde in Concilio Mediolanensi V. cap. 10. ait: Abiis verò casibus (reservatis) proximè promulgatis, si quis Confessarius cuiusvis ordinis sine facultate scripta, ab Episcopo datâ, aliquem absolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.

XXIX. Et infra: "Ne facultatum, privilegiorumque jura, quæ cuicumque etiam Rosarii, & cruce signatorum Scholar, confratris, collegiòve, etiam laicorum, quæve collegis, confratribusve in eo ascriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem, concessa sunt; Confessariis, cuiusvis ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diocesi reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contrafecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat."

XXX. Neque Confessarii habentes specialem facultatem à Pontifice absolvendi à casibus reservatis Sedi Apostolicæ, propterea censendi sunt habere facultatem absolvendi à reservatis Episcopo; tametsi reservati Episcopo essent quoque inter casus reservatos Sedi Apostolicæ.

Pontifex enim dans eam licentiam, tantùm concedit licentiam ab illis casibus absolvendi ut sibi reservatis: Episcopalem verò reservationem tangere non præsumitur, ut Episcopis sua integra maneat auctoritas; & ita habet Clemens X. in Bulla quæ incipit *Superna*; & Innocentium X. declarasse Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensis testatur Bosco *Tomo 4. Disp. 3. De Ministro Pœnit. Sect. 5. concl. 11.*

XXXI. Porro sicuti Episcopi possunt facultatem absolvendi restringere & modificare; ita quoque licentiam absolvendi à reservatis, & quo ad personas & casus. *Quin &*

deklarate, quoddam speciale peccatum ob sui gravitatem non comprehendit sub generali licentia absolvendi à reservatis; quemadmodum in Congregatione Archiepiscoporum anno 1663. art. 65. declaravit Archiepiscopus Mechliniensis, quod "nullus Confessarius (extra mortis articulum) etiam si aliàs habeat potestatem absolvendi à casibus reservatis, absolute possit à peccato quolibet mortali & externo contra castitatem (si forte id contingeret, quod Deus avertat) complicem in eodem seculo peccato absolvere: Quem proinde casum Illustrissimus Dominus respectu Confessarii complicis in casibus reservatis refert, subtrahendo omnem ad id jurisdictionem, imò etiam detrahendo, neminem ad istiusmodi casum censeri approbatum, & approbationes hæcenus generaliter datas ita se restringere, & pro restrictis haberi velle & quatenus opus est, ad istud omninò revocare restrictionis modum statim à publicatione hujus Decreti, quam vult quamprimum fieri per Archiepiscopos, in Congregatione Pastorum, atque ipse Illustrissimus

"Dominus Religiosorum etiam Superioribus curabit intimari.

XXXII. Caterum qui sint casus in singulis respectivè Diocesis reservati, videri poterit ex Synodis, & Pastoralibus seu Ritualibus singularum Diocesium; ræcipuè verò ac certius ex litteris approbationis Confessariis dari solitis, in quibus casus tunc reservati referuntur. Conveniens autem erit, ut casuum illorum habitâ notitiâ, etiam subinde Parochus populo notificet casuum illorum reservationem; ut vel inde gravitatem criminum illorum concipiat; & horrorem aliquem de peccatis illis populo incutiat.

XXXIII. Meritò autem monet Synodus Gandensis *tit. 5. cap. 6.* ut "qui à casibus reservatis absolvendi potestatem accepit, non ad destructionem, sed ad edificationem eâ utatur, exponendo Pœnitentibus gravitatem peccatorum, & convenientes satisfactiones, prout spiritus suggererit prudenter injungendo." Idipsum innovatum est Decretis Synodalibus sub Antonio Triesi, *tit. 5. cap. 11.*

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

CAPUT I.

De variis Indulgentiarum Speciebus sive Formulis.

1. Indulgentia olim dicta remissiones.
2. Unde hoc nomen derivatum?
3. Prima species Indulgentiæ ex Apostolo.
4. Quam Apostolus Indulgentiam concessit; & quare?
5. Describitur secunda Indulgentiæ species.
6. Tertia species Indulgentiæ ad præces Martyrum, & quomodo moribundis daretur.
7. Quomodo eis prodesset.
8. Etiam sanis & benevalentibus dabatur.
9. Quare species Indulgentiæ propter opus laboriosum susceptum: & qua hujus formula?
10. Insigne hujus exemplum sub Urbano II.
11. Potius erat Pœnitentiæ commutatio, quàm indulgentia.
12. Quare plurimi malle hoc opus laboriosum suscipere, quàm Canonicam pœnitentiā agere.
13. Quomodo hæc Indulgentia occasionem dederit abrogationi Canonum pœnitentialium?
14. Quinta species Indulgentiæ ex precedenti orta.
15. Formula hujus Indulgentiæ; & quomodo hæc Indulgentia sensim extensa?
16. Hæc Indulgentia dicta à sua origine relaxatio pœnitentiæ Canoniarum; & quare?
17. Hujus Indulgentiæ usus demum saculo XI. cepit.
18. Episcopi mox admodum liberales fuere in concedenda hæc Indulgentia.
19. Non extat hujus Indulgentiæ formula monumentum ante seculum XI.
20. Quidam credunt similem Indulgentiam concessam à S. Gregorio; sed erroneè.
21. Quæ erroris occasio?
22. Nonnulli credunt concessam à Leone III. auctoritate epistole S. Ludgeri.
23. Hujus epistola fictio ostenditur.
24. Indulgentia falsò ascripta Sergio II. & qua falsitatis origo.
25. Indulgentia S. Sylvestro sine fundamento ascripta. Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

26. Nullus Catholicus asserit usum Indulgentiarum primum saculo XI. cepisse; sed fatentur verum quod Tridentinum dixit, & professio fidei exprimit.
27. Multa circa Indulgentiis à Theologis moventur & traduntur; sed pauca certitudinem fidei attingunt.

I. Omen Indulgentiæ derivatur à verbo *indulgere*, atque idem valet, quod aliquid remittere seu relaxare. Unde quod hodie phrasi Ecclesiæ dicitur *Indulgentia*, olim frequentius dicebatur *remissio*; atque inde titulus Decretalium *De Pœnitentiis & Remissionibus*.

Et in Cap. 4. de Pœnit. & Remissionibus scribit ad Archiepiscopum Cantuariensem Alexander III. "Quod autem consulisti, utrum remissiones, quæ sunt in Delegationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad edificationem Pontium, aliis profint quàm his, qui remittentibus subſunt. Hoc volumus Tuam Fraternalitatem tenere, quòd cum à non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse tantummodo arbitramur, quibus ut profint, proprii iudices specialiter indulserunt."

Hic à Pontifice vocari remissiones, quæ hodie dicuntur Indulgentiæ, evidens est ex ipso contextu.

II. Videtur autem Ecclesia nomen hoc derivasse ab usu veterum Imperatorum & Juris Consultorum: siquidem illi Indulgentiam solemnè proprioque vocabulo appellabant remissionem generalem criminum, quam aliquando Principes sæculi publicæ lætitiæ causa faciebant; quemadmodum videri potest in Codice Theodosiano titulo *De Indulgentiis criminum*; ac nominatim videre est in lege 3. Indulgentiam fuisse remissionem criminum, quoad solam pœnam legibus debitam. Hoc pluribus ostendit Bellarminus *lib. 1. de Indulg. cap. 1.*

Plures hujus Indulgentiæ Ecclesiasticæ species sive formulæ, aliæ antiquiores aliæ recentiores, occurrunt.

III. Prima eaque antiquissima est illa, quæ usus est Apostolus erga incestuosum Corinthium his verbis expressa: "Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrariò magis donetis, & consolemini, ne forte abundantiori tristitia

„*via absorbeat* qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut *confirmetis* in illum *charitatem*
„Cui autem aliquid donatis, & ego: Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Sathana: Non enim ignoramus cogitationes ejus.“ *2. Corinth. 2.*

De quo hic loquitur Apostolus, est *incestuosus* ille *Corinthius*, quem ob fornicationem, qualis nec inter gentes audiebatur, commissam, tradiderat Sathana in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi; quemadmodum in priore sua Epistola ad Corinthios *cap. 5.* scripserat.

Hunc igitur vult à Corinthiis in gratiam ac communionem nunc recipi; non quod jam *totaliter* satisfecisset atque penam tanto crimini debitam *integrè* persolveret; sed ei indulgeri voluit, quod agendum supererat, *ne abundantiori tristitia absorbeat*. „Nam quamvis peccatum confessus fuerit, ipsiusque penitentia: ostendit tamen eum, non tam penitentia: operam, quam gratia & beneficio veniam consequi, ait S. Ch. y. solumus *Homilia 4. in epistolam 2. ad Corinth.* Et subdit: ob idque ait, *donetis & consolemini*. Et quod sequitur, idem declarat. Non enim, inquit, quod id promereatur, nec quod eam, quam par sit, penitentiam præstiterit; sed quia *infirmus* est, idcirco hoc peto. Unde etiam subiunxit, *Ne forte abundantiori tristitia absorbeat, qui est ejusmodi*. Quæ verba sunt hominis magnæ penitentia: testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinentis.

IV. Itaque ob incestuosi hujus infirmitatem: & ne diuturniori ac acerbiori penitentia gravatus *abundantiori tristitia absorbeat*; atque totam in *desperationem* adigatur, voluit Apostolus ei aliquid donari sive *indulgeri*; ut nimirum illum ante *peractam totalem* penitentiam in gratiam & communionem recipiant.

V. Secunda species indulgentia: est de qua loquitur Synodus Nicæna *Can. 11.* & Ancyra *Can. 4.* & 5. alique veteres Canones decernentes, ut Episcopi modo conversationis ipsorum Penitentium considerato, potestatem habeant, vel *clementer* utendi, vel plus temporis adjiciendi: quemadmodum titulo præcedenti *cap. 3.* ostensum est.

Licit ergo, uti rectè Suarezius *Disp. 49. de Indul. sect. 3. n. 1.* „Episcopis ex Canonicis penitentis publicis, quæ pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid Penitentibus remittere, si eorum vita & laudabilis conversatio id mereretur.“ Hæc ille, qui ibidem fatetur ex illis Canonicis, pro assequendis Indulgentiis nihil amplius *efficaciter* dici posse. Quin tamen hæc Episcoporum remissio seu relaxatio aut mitigatio dici potest quædam species Indulgentia: dubitari nequit: cum revera penitentibus per Episcopos aliquid remitteretur sive indulgeretur.

VI. Tertia species *Indulgentia* occurrit apud Veteres & præsertim apud S. Cyprianum; quæ dabatur ab Episcopis ad preces & intercessionem Martyrum.

De hac Indulgentia hæc scribit S. Cyprianus *epist. 15.* „Si qui libello à Martyribus accepto de saculo excederent, ex omologesi facta, & manu eis in penitentiam imposita *cum pace* sibi à Martyribus promissa ad Dominum remitterentur.“ Hoc est, ipsi in idololatriam, etiam si *vita durante* Penitentibus non fuerint, nec penitentiam *perierint*, si periculo mortis urgente penitentiam cum lachrymis & magno affectu desideraverint, eis hæc *indulgebatur*; manu in penitentiam imposita *cum pace*, id est, reconciliati ad Dominum dimittebantur, si modo libellis Martyrum essent muniti. Hoc æconomicè sive per Indulgentiam in favorem Martyrum decretum fuisse scribit Cyprianus.

VII. Neque id exiguum erat Martyrum privilegium,

Juxta Canonicam enim disciplinam illius ætatis, qui sanus penitentiam nglexerat, eam nec in vita periculo constitutus accipiebat; sed sine reconciliatione à vita migrabat; uti latè probat Morinus *lib. 9. cap. 24.* ibidem ostendens, quod ante hoc æconomicè ac dispensatorium Decretum numquam moribundis illis *pax* seu *reconciliatio* data fuerit ab Episcopis, qui sani numquam penitentiam egerant, aut petierant: at illud primum in favorem lapsorum & Martyrum à S. Cypriano & Episcopis Africanis, ac postmodum à Cleo Romano inductum fuisse.

VIII. Nequaquam tamen hoc solum fuit Martyrum privilegium; neque hæc sola *indulgentia*, intuitu precum & libellorum Martyrum Penitentibus data. Certum enim est, etiam sanis ac bene valentibus penitentibus ob preces Martyrum, concessam fuisse aliquam indulgentiam; uti ex epistolis S. Cypriani probat Morinus *lib. 9. cap. 26.* & ostenditur capite sequenti, ubi exponendum erit, qua cautione & moderatione hæc indulgentia ab Episcopis daretur; & quid à Martyribus observatum vellent in datione Libellorum.

IX. Quarta species Indulgentia: dici potest illa penitentiarum sive penarum remissio, quæ sæculo XI. fieri coepit intuitu alicujus operis laboriosi propter evidentem aut apparentem Ecclesie utilitatem suscepti.

Indulgentia illa proponi solebat hæc ferè formula: „Qui hoc opus egerit, aut ut peragatur, pro viribus nexus fuerit, peccatorum omnium remissionem consequatur.“

Magnum illud opus ferè semper fuit, arma contra Ethnicos, Hæreticos, aut Schismaticos ferre; vel si ipse per se ferre non posset, suis sumptibus alere qui ferret.

X. Insigne & memorabile hujus *Indulgentia* sive remissionis exemplum fuit expeditio Hierosolymitana hortante Urbano II. à Gallis anno 1096. suscepta; & descripta à Guilelmo Tyrio de Bello Sacro; qui *libro 1.* relata exhortatione Urbani II. ad hanc expeditionem suscipiendam, subiicit verba quibus suam exhortationem finiebat Pontifex: „Nos autem misericordia Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli autoritate, confisii, fidelibus Christianis qui contra eos arma susceperint, & onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis penitentias relaxamus: Qui autem in vera penitentia decesserint, & peccatorum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se non dubitent habituros.“

Hæc exhortatio habita fertur à Pontifice in Concilio Claramontano, in quo etiam hic Canon conditus est: „Quicumque pro *sola devotione*, non pro honoris vel pecunia: adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei, Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni patientia ei reputetur.“

Hanc indulgentiam seu remissionem plures sequentes Pontifices confirmarunt, uti ostendit Morinus *lib. 10. cap. 19.*

XI. Si hujus expeditionis labores, expensæ, itineris molestia:, patriæ familiarique abdicatio, aliaque his adjuncta incommoda expendantur, facile apparebit, quod expeditio hæc longissimis Penitentibus non immeritò æquiparari possit; ac proinde qui hanc expeditionem Penitentibus Canonicis permutabant, non *christiana* *gratia* sed paria paribus rependebant.

XII. Quia tamen hanc expeditionem susciperent omnibus generis homines etiam innocentissimi ex sola devotione, aut spiritu voluntaria: penitentia:, tegebatur hoc titulo ipsa criminis confessio, quæ aliàs Penitentia: Canonica: præsertim *publicè* peragenda: annexa videbatur: ac propterea peccatores publici hanc expeditionem præ Canonica: penitentia: eligebant.

Adhæc

Adhæc notum est, quam multos ad suscipiendas peregrinationes, quantumvis laboriosas & periculosas ac dispendiosas incitet curiositas; præsertim si specie religionis insuper velari queat; ipsaque peregrinationes etiam ab honestioribus suscipiantur, & laudentur imo tamquam ad opus admodum pium suscipiendum Superiorum exhortatio accedat.

Denique si hominum secularium genius attendatur, videbitur, quomodo sese militia: potius, tamen cum summo discrimine magnisq; incommodis, addicant, quam duriusculam aliquam penitentiam à Sacerdotibus impositam acceptare, & sub Sacerdotum directione peragere velint.

Hæc si quis expendit non mirabitur adeo ingentem multitudinem hanc expeditionem suscepisse, exhortantibus præsertim Pontificibus & Episcopis, atque omnium peccatorum & integra: penitentia: remissionem addicentibus, ut de hac multitudine scribens S. Bernardus *Ep. 246.* dicat: „Vacuantur Urbes & castella; & penè jam non inveniunt quem apprehendant, septem mulieres virum unam, adeo ubique vidua: vis remanent viris.“

XIII. Hinc ulterius colligitur, qua ratione hæc indulgentia sive potius Penitentia: Canonica: commutatio, occasio fuerit abrogationis penitentia: Canonica:, & Canonum Penitentiarum; dum plerique omnia Canonica: Penitentia: expeditionem hanc suscipiebant.

Sed hæc abrogatio majus incrementum adhuc cepit, quando ea remissio etiam facta fuit iis, qui cum legitime impediti *personaliter* ad expeditionem non pergebant, saltem militem suis sumptibus eo mittebant, & alebant, Quis enim hos sumptus ferre non maluisset, quam multorum annorum laboriosam illam penitentiam ad præscriptum Canonum subire?

XIV. Ex hac indulgentia altera sequuta est remissio seu Indulgentia: species sive formula.

Cum enim jam invaluisset & persuasum esset, licere integram penitentiam remittere, & omnium peccatorum remissionem dare iis, qui pecuniam contulissent in expeditionem contra infideles aut Hæreticos, non apparebat, cur non liceret quoque integram aut saltem partem penitentia: remittere illi, qui elemosinam conferret in aliud pium opus; verb. grat. ædificationem aut reparationem Ecclesie, Monasterii, hospitalis alteriusve ædificii Ecclesiastici.

XV. Formula hujus Indulgentia: erat: „Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus Ecclesie, aut Oratorii contulerit, tertiam, vel quartam &c. partem penitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus.“

Ita refert Morinus *lib. 9. cap. 20. num. 2.* qui & ibidem monet, quod eodem tempore extensa fuerit ista relaxatio ad res seculares; Pontium, itinerum, rerumque similia refectionem.

Denique Indulgentia hæc extensa fuit ad alia pietatis opera verb. gr. visitationem alicujus Ecclesie cum obligatione ibidem orandi ad intentionem concedentis Indulgentiam, & tenorem Bullæ indulgentialis.

XVI. Notat Morinus, quod hæc relaxatio merito dici possit causa remissarum & tandem obsoletarum penitentiarum canonicarum. Quis enim longissimis & durissimis penitentibus noctu diu que incumbere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Episcopi mandatum erogato, tertia: Penitentiarum canonicarum parti summa quadrantis satisficit, & triplicato denario totam summam albo expungit? Quidquid subalter dicatur, & disputetur, hoc axiomate posito difficillimè Penitentia: canonica: actio persuadebitur, cum ad se ab ea redimendum tam facile & parabile unicuique præsto semper sit remedium. Stupidissimas quisque

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

„ad hanc consequentiam intelligendam idoneus est. Quis verò quæ contra subtiliter opponi possunt, animo capiat? Hoc paulò post demonstravi: experientia, & in hunc usque diem demonstrat.“

XVII. Hactenus Morinus *lib. 10. cap. 20. num. 3.* & qui *num. 8.* advertit, hunc remissionum usum demum circa tempora Petri Cantoris, id est, circa medium sæculi XII. ortum habuisse: „brevi tamen, licet multi contradicerent, alii variè de iis, earumque effectu dubitarent, magnos progressus fecisse. Nec hoc creditu difficile est, cum lucrum temporale, & maxima commoda in Ecclesiarum fabricas, & Episcopos hinc redundent.“

XVIII. Advertit insuper ex verbis Petri Cantoris, „privatos Episcopos certam hanc consuetudinem statuisse; sed cum scribebat Cantor, Romanos Pontifices eam, quantum ille rescire potuit, nondum vulgò usurpasse, & penitentia: actionem huic relaxationi longè prætulisse.“

XIX. Circa Epocham exortæ hujus Indulgentialis formulæ Eruditi passim Morino assentiuntur; atque fatentur nullum authenticum illius monumentum sæculo duodecimo antiquius hæctenus repertum esse.

XX. Scribit quidem Guilelmus Altihsiodorensis in *Summa lib. 4. tractat. 6. cap. 9.* „Sanctus Gregorius instituit Romæ ejusmodi relaxationes (nimirum quæ dantur visitantibus Ecclesias Stationum) & si aliquis est Romæ per quadragesimam, habet de relaxationibus plusquam quinquaginta annos. Plures celebres Scholastici idipsum post Altihsiodorem scripserunt; & in probationem hujus Indulgentialis formulæ adduxerunt.“

Sed uti advertit Morinus apud S. Gregorium ista numquam occurrunt, nec quid aliud quod aliquatenus id confirmet. Et si hujusmodi Indulgentiarum formula usitata fuisset tempore S. Gregorii, indubie ob suam commoditatem & utilitatem frequentissima fuisset; cum tamen nec eo tempore, nec multis ante & post sæculis ulla memoria, ulla vestigium, ulla umbra illius occurrat.

Ad auctoritatem Scholasticorum qui fidem Altihsiodorensis secuti sunt, respondet: „Quis nescit qua critice valeat in antiquis operibus discernendis & dispungendis plerique istorum sæculorum auctores.“

XXI. Admodum verisimile est hunc Scholasticos vulgarem, qui tunc erat, errorem sequutos fuisse.

Cum enim sæculo XIII. Pontifices soliti essent dare aliquas *Indulgentias* Ecclesiis Stationarias visitantibus; atque apud Joannem Diaconum legeretur, Sanctum Gregorium *Stationes per Basilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria ordinasse*, vulgus ex præsentibus de præteritis judicans, supposuit, Sanctum Gregorium Stationes ordinando, etiam Indulgentias concessisse; quemadmodum à posterioribus Pontificibus factum viderat.

Scholastici qui facta non examinabant juxta regulas historia: aut critices, sed ad sua principia Theologica, facile recipiebant, quidquid vulgò credebatur, modò principis suis Theologicis haud repugnaret.

XXII. Nonnulli cum Baronio credunt à Leone III. sub initium sæculi IX. Indulgentias similes concessas; idque ex fide epistolæ S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, quæ extat ad calcem vitæ Sancti Ludgeri ad diem 26. Martii apud Bollandum: in qua scribitur, Leonem III. anno 803. venisse ad Carolum M. multas Ecclesias, Capellas & Altaria consecrassè, ubique *Indulgentias concedendo*; ac dein Leonem Papam cum Carolo Imperatore *Verdam* se contulisse ac ibidem S. Svibertum in Catalogum Sanctorum retulisse: *Obtulit autem, ait, idem Sanctus Papa eadem Ecclesia speciales Indulgentias cum ceteris Fidelibus celebrantibus festum S. Sviberi, & ad diuina consuetudinibus.*

Kk 2

XXIII.